

- (2) *Timor Dei non excludit gaudium spirituale.*
 (3) *Honorandus etiam est rex noster palam, animo celesti zelo pleno, ridente licet ac frendente mundo demoniisque.*

USUS E VERSU III.

- (1) *Timendus est Deus Excelsus propter majestatem impiis terribilem, piis auxiliatricem. vid. præcept. I.*
 (2) *Christus Rex incomparabilis verèque magnus. vid. De Christi offic. regio, tam potentia, quam gratia ac gloria.*
 (3) *Nemo igitur contra hujusce Regis voluntatem nobis potest vel obesse, vel prodesse. Huic parendum religiosè ac constanter. Ad hujus honorem pertrahere conamur quosvis alios, ceu Paulus, Actor. XXVI, 29.*

USUS E VERSU IV.

- (1) *Hostes ecclesie verbò (non armis carnalibus 2. Corinth. X, 4.) subiguntur ad obsequium spirituale.*
 (2) *Subjectio fit non ad cæcum aliquod obsequium, aut servitiam mundana, sed ad rationis captivationem, informationis admissionem, pacis culturam, novamque prorsus vivendi rationem. Conf. Actor. XIII, 8. XVI, 14. Jer. I, 10. 18. Jes. II, 2. seqq.*

USUS E VERSU V.

- (1) *Deus est, qui eligit destinaturque nobis hereditatem, aut cuncta bona necessaria, tam hujus, quam futuri seculi. Ubi tamen spiritualia à secularibus cautè sequestranda, item ea, quæ ad salutem sunt necessaria, & quæ sunt superflua. Eligit hos, qui gratia non refractarii prævidebantur, ita tamen, ut nemini gratia media per absolutum aliquod decretum fuerint negata, &c.*

- (2) *Hæreditas Isr. terrestris eleganter præfigurabat patriæ celestis futura bona, v. 1. Pet. II, 9.*

- (3) *Quomodo Jacobum Deus dilexerit, odioque habuerit Esavum. vid. Rom. IX, 13.*

USUS E VERSU VI.

- (1) *Si Arca fœderis ad Sionem sublevatio magnam Israël suppeditavit gaudendi materiam, quid dicendum de Dei in carne manifestati adscensione in cælum, plenariè cunctis devictis nostris hostibus: 1. Tim. III, 16. Col. II, 15. Gen. III, 15. 1. Cor. XV, 54. Joh. XVI, 11. Trahet nos omnes secum: Joh. XII, 32. Ubi hic noster Dominus, ibi & servi: vers. 26. XVII, 24.*

- (2) *Jubili tubæque sonus ingentes piorum expriment motus, imò Angelorum celestia tripudia, quæ illic demum intelligemus plenius. conf. Ebr. I, 4. Eph. I, 22. IV, 10. item. L. de Adscensu Christi.*

USUS E VERSU VII.

- (1) *Psalmis publicis privatisque celebrandus noster Deus incarnatus, tanquam Rex ac Redemptor noster Clementissimus. vid. præc. II.*

PSALMI XLVIII. DISPOSITIO.

Civitas Domini gloriosa.

Zion invicta gaudeat.

Celebratur in hoc Psalmò Deus I. à magnitudine vers. 2.

II. *Laudis debite copiâ: ibid.*

III. *Sede velut regiâ, h. e. urbe & monte sancto Zion: ibid. quæ (1) formosa quoad situationem, vers. 3. quæ (2) totam provinciam exhiberat, (3) magno regi domicilium præbet. ibid. (4) doctrinam de Deo in palatiis suis propagat: vers. 4. (5) miraculosè ab eodem defenditur: adeo, ut (a) congregati reges pariter prætercant: vers. 5. (b) obstupescant: vers. 6. 7. (c) instar navium ab Euro fractarum pessum eant: vers. 6. Atque hæc*

- A** (2) *Non sufficit, unò alteròve festi die tale gaudium expressisse; repetendum illud quotidie, dum vivimus: psallite, psallite, quater in eodem ingeminatur versu.*

- (3) *De Jesu nostri officio regio monitum aliquoties.*

USUS E VERSU VIII.

- (1) *Messias Rex non in unâ imperium obtinuit Palestinâ, sicut David aut Salomo sed per universum terrarum orbem dilatavit suum evangelium, fidelesque coligit sibi subditos.*

- (2) *Psallendum Deo prudenter, ut majestati Regis beneficiisque incomparabilibus æquentur actiones nostra singule pro viribus, ut tempori, loco, modo, materia, auditoribus debita impendatur industria, ne vociferationibus, in lingua ignotâ, gestulationibusque Papicolarum incongruis opinemur nos nostro satisfacisse officio.*

USUS E VERSU IX.

- (1) *Regnum adscendenti Messia tradendum, ac sine fine administrandum, luculenter Danieli ostensum cap. VII, 13. seqq.*

- (2) *De throno Christi sancto, deque sessione ad dextram abundè etiam constitit Davidi, teste Psal. CX, 1.*

- (3) *Regnandi novus planè modus in N. T. haut dubiè inculcari etiam debuit tam crebrâ vocabulorum repetitione.*

USUS E VERSU X.

- (1) *Non meri pauperes despectique ad Christi regnum pertinent; desiderantur etiam Magnates populi. Corinth. I, 26. Psal. LXVIII, 23. imò quotquot invitationem admittentes veniunt, excipiuntur clementissimè: Joh. VI, 37.*

- (2) *Collectio fit præcipuè per Verbum; accidunt quandoque miracula, &c.*

- (3) *Ad ecclesiam conversi in N. T. colliguntur ad antiquum Abrahami Deum, qui patriarchæ huic talem gentium crediturarum progeniem promisit: Rom. IV, 11. IX, 6. Collecti hi ipsi funi populus Dei Abrahamici, h. e. inseruntur stemmati, Rom. XI, 16. seqq.*

- (4) *Magnates, sicut Clypeis utuntur atque insignibus conspicuis, ita clypeorum more protegere etiam tenentur subditos, vid. L. de Magistratu.*

- (5) *Clypei hi non sunt sui juris aut Independentes, sed sunt Regis regum subditi: Apocal. I, 5. XVII, 14. XIX, 16.*

- (6) *Exaltatio insignis apud Magnates obtinere debet, ob insignem erga eosdem demonstratam gratiam. Eminentiam igitur Dei & Christi ipsius reverentur amicitias, oblectari caveant ipsius ministris, veritatem promoveant celestem, adeoque ipso opere testentur, se Dei altitudinem cunctis aliis unice præferre. vid. Pl. II, 1. 2.*

Clementiam igitur Dei & Christi ipsius reverentur amicitias, oblectari caveant ipsius ministris, veritatem promoveant celestem, adeoque ipso opere testentur, se Dei altitudinem cunctis aliis unice præferre. vid. Pl. II, 1. 2.

PSAL-